



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Alia pro Doctoratûs Candidato, eodemque Religioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

A L I A.

*Pro Doctōratūs Candidato, eodēque
Religioso.*

Quoties ego oculos conjicio Theologos in viros, ex quibus Parisiensis Facultas constata est, toties intueri mihi videor terribilem illam Errorum monstris ordinatamque castrorum aciem, quam sacrae Litterae describunt, aut fortissimam atque inexpugnabilem Turrim illam, ex qua mille clypei dependent, omnis armatura fortium. Nam qui tandem illi sunt, nisi instructus adversum Religionis hostes exercitus, paratus semper decertare viriliter, & tutam ab omni impugnatione Ecclesiam praestare. At licet unus sit idemque omnibus animus, quanta inter illas militares Religionis copias, & quam admirabilis varietas occurrit.

Neque verò Religiosi Ordines minùs utilem ab omni aëvo laboranti Ecclesiae navaverunt operam, aut suis hodièque laboribus levem sacrae illius Militiae gloriam sibi vindicant. Nostis pietatis studium cum eruditionis laude componere, & dum erudiendis rudibus, pravis erroribus dedocendis, revocandis ad antiquam fidem errantibus verbo pariter & opere incumbitis, facit vis precum & obsecrationum vestrarum apud praepotentem Deum, ne, quod suscipitis cumque, suo successu defraudetur, aut ulla pars laboris vestri cassa & irrita sit. Plaudite vobis, generosi Christi Milites, contendite novas cumulare palmas, veteribus recentes triumphos adjicere. Tūque inprimis,

mis, qui tam saepe nostris in concertationibus
 eximium dedisti ingenij reconditionisque doctri-
 nae specimen, qui novum in decus, in novum Or-
 dinis tui lumen assurgis, quam suscitasti jam diu
 lætissimam expectationem tui, fac eandem ut su-
 stineas, aut, si fas, vincas etiam ac superes.

A L I A.

Quod olim difficillimis Ecclesiae temporibus
 facere solebant Religiosae vitae cultores, ut
 è solitudinibus suis ac speluncis prodirent
 palam laboranti Religioni opem laturi; id ipsum
 vos quanto totius Ecclesiae commodo facitis ho-
 dièque, quos nobilis quaedam divinae gloriae æmu-
 latio ex ipso quietis & tranquillitatis sinu ad ju-
 vandos labores nostros adducit! Ac licet singu-
 lari Dei omnipotentis beneficio non desint in
 Clero Gallicano insignes pietate ac doctrinâ viri,
 qui sterilem vineam Domini minimè patian-
 tur; tamen tam gratum est, quàm quod gratissi-
 mum, quod nobis ultrò volentesque ministe-
 rium impenditis. Neque verò nos piget habere
 socios nostrorum laborum tot insignes sagaciorè
 ingenio, eruditionis laude, pietatis gloriâ viros,
 quibus nihil est antiquius, quàm ut suum in Ec-
 clesiam studium palam approbent, & strenuos se
 ejusdem defensores ac vindices quocumque re-
 rum suarum discrimine exhibeant. Quòd si,
 Scripturâ teste, frater qui adjuvatur à fratre, quasi
 civitas firma reputatur, quàm formidandam er-
 rorum monstris societatem illam esse oportet,
 quæ conjunctissimos tot fratres ostentat eodem
 divinae gloriae studio succensos? Adeste nobis

X

igitur